PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ THESES CONCORDES

SUB PATROCINIO

REGIÆ CELSITUDINIS

SERENISSIMÆ

VIOLANTIS BEATRICIS

E DUCIBUS BAVARIÆ

MAGNÆ PRINCIPIS ETRURIÆ

SENARUM GUBERNATRICIS &c

A COSMO MARIA GALILÆO

PATRITIO FLORENTINO

publicè propugnandæ in Templo S. Joannis Evangeliſtæ Patrum SOCIETATIS JESU.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FLORENTIÆ, MDCCXXV.

Ex Typographiâ Michaëlis Neſtenus, ſub Signo SS. Nominis JESU.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

REGIÆ CELSITUDINI
SERENISSIMÆ
VIOLANTIS BEATRICIS
E DUCIBUS BAVARIÆ
MAGNÆ PRINCIPIS ETRURIÆ
SENARUM GUBERNATRICIS &c.

COSMUS MARIA GALILÆI
FELICITATEM.

QUanti interſit communi, privatæque literariæ Reipublicæ felicitati bonarum artium patrocinium , nemo eſt qui hoc tempore non intelligat, REGIA CELSITUDO. Serperent humi nobiliſſimæ vites, niſi benignam arborem invenirent, cui palmites ſuos committerent:

Digitized by Google

Invidorum ſpinis pulcherrimæ roſæ facilè ſuffocarentur, niſi aptæ, firmæque ſepi forent innixæ: Bavii, & Mævii ineptà, atque imperità deriſione traducti jacerent Marones, aut certè Andino in Pago divina carmina deliteſcerent, niſi officioſam, potentemque dexteram porrigerent Mæcenates. Propterea Divina SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMUM, quæ vel parvulis pateret, ut in eam ſe tutò reciperet quiſquis eſt amans Sapientiæ: Menſam inſtruxit, ne ex inopià, prętextu ſibi victum aliunde comparandi ab ipſius proſecutione quiſquam avocaretur: & ignaros allocuta amantiſſimis verbis invitavit, ne quis pudore ſuffuſus longiùs aberraret. Huius divini exemplaris pulcherrimum in REGIA TUA CELSITUDINE exemplum univerſi admirantur. Aulam Tuam mihi adhuc puero patere voluiſti, ut Philoſophicas theſes ad magni Tui nominis umbram tuerer. Vidit præterea Roma, & obſtupuit, demiſsà ad convivii obſequia Majeſtate, TE perègrinis miniſtrantem: attonitus honoris dignitate conviva lætus vinum bibebat, quod ipſa miſcueras, dubius an vigilaret in Terris. Adoleſcentes quoque ad maiora natos, ſed tenui fortunà laborantes non dedignaris ſerenà fronte excipere, atque edocendos curare. Studium ipſum TIBI placendi abſolvit hanc ætatem a crimine, cuius futura tempora eam pluribus de cauſis inſimulaſſent, quaſi meritum vel non agnoſceret, vel non coronaret. Cùm enim ex omnium præteritorum ſæculorum memorià repeterem eos qui extemporaneà eloquentià floruerunt, neminem maioribus laudibus efferri deprehendi, quam Proæreſium. (a) Is ex Armenià interiore oriundus uno

pede

(a) *Vide Eunapium in Proæreſio ἦν δὲ αὐτός τε ἐξ Ἀρμενίας &c.*

pede cæteris altior Hominibus, tantà pollebat dicendi vi, ut datà quavis argumenti formulà flumen orationis effunderet, etiam cum experiundi gratià quid ex tempore poſſet proferebant æmuli propoſitionem, quà nulla ſalebroſa magis, aut jejuna, & ab apparatu, ornatuque oratorio prorſus aliena. Tantà memorià viguit, ut fatigatis peritiſſimis ſcribis, qui dicentem aſſequi vix poterant, eamdem orationem denuò ad verbum retexeret. Cæterum inter immodicas laudes quibus paſſim cumulabatur (dictus eſt enim θεότατος, ſive *Diviniſſimus*, & habitus pro *Mercurio* eloquentiæ Præſide, aut alio quopiam *Numine*) erat ab omni ambitione alienus, ut orbus affectibus videretur: proinde Athenis ubi docebat in exilium pulſus ob ingenii quà excellebat præſtantiam, ſummà tulit æquitate. Accitus a Conſtante Cæſare in Gallias, eo in honore eſt habitus, ut inter Purpuratos Aulicos cum illo menſæ accumberet. Nec multò poſt Romam a Cæſare ablegatus, *ut viderent quales Homines imperio ſubditi obtemperarent*, cum S. P. Q. R. virum commendare, & honorare decreviſſet, ſtatuà æreà publicè erectà donatus eſt, pari magnitudine, cum hac inſcriptione:

REGINA RERUM ROMA REGI ELOQUENTIÆ.

Quod ſi hunc honorem jure retulit ſpectatiſſima apud Veteres Armenii Oratoris virtus, ut eorum narrant Hiſtoriæ; quantò juſtius noſtris temporibus doctarum præmia frontium illius merito reddi par erat, qui non ſolutà oratione, ſed vario carmine, ac ſuaviſſimo cantu ad tres, vel quatuor horas, non unam dumtaxat, ſed quatuor, ac ſubinde ſex propoſitas cuiuſcumque facultatis quæſtiones ex tempore ſolvit, atque ornat: neque ſolum memorià repetit ſemel exornata ar-

argumenta, ſed ſingula diverſo carmine relegens eo quo propoſita fuerunt ordine ita unum cum alio intexit, ac ſi unicum foret, conſentienſque in omnibus ſuis partibus carmen? Nili ritu Auditorum animos placidè inundans, ac recreans tantà cum voluptate, ut etiam ſeveriores, atque illuſtriores Muſas nonniſi meditatò canentes in ſtuporem adducat. TIBI igitur Regiæ literarum, Literatorumque Patronæ plurimùm ætas noſtra debet, quod ſi Marones proferat, non careat Mæcenate. TIBI debet Italia, propoſitis virtuti ampliſſimis præmiis, additum ſtudioſæ Juventuti, ac præſertim Etruſcæ incitamentum. TIBI debet noſtra Palæſtra, quæ ut Veterum, ac Recentiorum Sapientum concordià gaudet; ita novis meritis in ſolo cretis ſuo antiquas coronas reſtitutas gratulatur. Nunc verò, ut præterita beneficia ſileam, primos ſtudiorum meorum fructus, obſequentiſſimi animi argumentum excipere ne graveris illo quo ſoles vultu etiam humiliores Muſas dignari: quando Aulam Tuam veluti Sapientiæ domum ſtudioſis omnibus patere voluiſti.

Digitized by Google

§. I.

THESES CONCORDES

LOGICÆ

VETERIS AC NOVÆ

I. Tres ſunt Claſſes operationũ Intellectûs, quas Logica intendit dirigere; progreſſus enim ab unâ veritate ad aliã, ſive diſcurſus eſt actus diverſus ab Apprehenſione, & Judicio non illato.

II. Propterea finis Intrinſecus hujus facultatis eſt recta, & ordinata mentis operatio.

III. Intellectus poteſt cognoſcere unum inſtar plurium, & facere Præciſionem formalem.

IV. Intellectus poteſt cognoſcere plura inſtar unius, & facere Univerſale.

I. Quamvis Methodus nõ ſit quarta claſſis operationum Intellectûs diſtincta a reliquis, debent tamen dari præcepta de illâ. Præcepta autem Logicæ demonſtrari poſſunt tam methodo Syntheticâ quam Analyticâ.

II. Non indigemus entibus rationis, ad explicandum Obiectum Logicæ, ſi hoc nomine intelligatur aliquid a re, & cognitione diſtinctũ.

III. Nulla neceſſitas admittendi in rebus creatis diſtinctionem virtualem intrinſecam aut formalem ex naturâ rei.

IV. Non tamen Univerſale datur independenter ab Intellectu; ſed conſtituitur ex multiplicitate Individuorum ſimilium, & ex abſtractione formali.

Digitized by Google

V. Bona eſt diviſio Univerſalis Logici in quinque prædicabilia, Genus, Differentiam, Speciem, Proprium, & Accidens.

V. Non datur de facto ulla ſpecies immultiplicabilis.

VI. Quæ differunt in aliquo prædicato realiter identificato ſub eodem genere, differunt ſpecie; quæ ſunt ſub eodem genere, neque differunt in aliquo prædicato realiter identificato, diſtinguuntur ſolo numero.

VI. Diſtinctio numerica haberi poteſt independentur a materiâ phyſicâ. Nec iterum hoc verum eſt quod omnis numerus cauſetur a materiâ, *inquit D. Thomas Opuſc.* 16.

VII. Decem a veteribus recenſentur Prædicamenta, quæ ſunt Subſtantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Paſſio, Ubi, Quando, Situs, Habitus.

VII. Ex diſtinctione Prædicamentorum non arguitur diſtinctio rerum.

VIII. Propoſitiones de futuro contingenti ad utrumlibet, neque ſunt neceſſariò veræ, neceſſitate ex Obiecto proveniente; neque ſunt determinatè veræ, determinatione quæ proveniat ex cauſsâ ſecundâ nunc phyſicè determinatâ: neque ſunt determinatè veræ quoad nos, quaſi a nobis deſignari ſine revelatione queat, quæ nam ex duabus contradictoriis de tali futuro ſit determinatè vera.

VIII. Ex eo quod res eſt, vel non eſt pro tempore pro quo enunciatur, propoſitio vera, vel falſa eſt; Omnis ergo propoſitio, ſive de præterito, ſive de præſenti, ſive de futuro, quæ nunc enunciatur, nunc eſt vel determinatè vera, vel determinatè falſa.

IX. Sine Decreto Dei neque dabitur creata libertas ad ponendum, id quod dicitur futurum: neque nunc profertur a nobis propoſitio ſine Deo concurrente.

IX. Nihilominus Verificativũ formale Obiectivum, & immediatum propoſitionum etiam de futuro, eſt obiectum ipſum ſe habens eo modo, & tempore, pro quo enunciatur a propoſitione, & non decretum Dei, niſi forte de eo loquatur propoſitio.

X. Aliqua Opinio eſt formi-

X. Aliqua Opinio non eſt for-

doio-

doloſa, hoc eſt vel coniuncta cum actuali formidine, vel ſaltem cum formidine radicali proxima, quæ conſiſtit in complexo ex cognitione fallibilitatis motivi, & carentiâ motivi infallibilis; hujuſmodi Opinio nequit ſtare in eodem intellectu cum actu ſcientiæ.

midoloſa : ac propterea componi poteſt in eodem Intellectu cum actu ſcientiæ ex diverſis motivis.

§. II.

THESES CONCORDES

PHYSICÆ GENERALIS

VETERIS AC NOVÆ

I. ALiquæ ſubſtantiæ exiſtunt de novo, ut Leo, non per meram manifeſtationem rei antea latentis; aut per diverſam mixtionem particularum veteris compoſiti; ſed per veram & propriam productionem ex ſubiecto aliunde exiſtente.

I. ALiquæ ſubſtantiæ non exiſtunt de novo etiam quando fit ſenſibilis mutatio, ut Glacies, cujus ſubſtantia non diſtinguitur a particulis aquæ præexiſtentis.

II. Dantur aliquæ formæ ſubſtantiales corporeæ, qualis eſt *V.G.* Anima Leonis.

II. Aliquæ formæ a veteribus admiſſæ, ut forma cadaverica, *non dantur.*

III. Dantur aliqua accidentia, ut ſpecies panis, & vini in Myſterio Euchariſtico.

III. Aliqua accidentia olim a veteribus propugnata non dantur: tales ſunt plures qualitates occultæ quarum nulla neceſſitas.

IV. Exiſtit Materia, ſive ſubiectum uniuſcujuſque, ex quo

IV. Non datur talis materia, quæ ità ſit pura potentia, ut in- ine-

inexiſtente fit aliquid non ſecundum accidens, & ſi quid corrumpitur in hoc abibit ultimum.

digeat exiſtentiâ diſtinctâ, ac potentiâ pariter diſtinctâ ad recipiendas formas.

V. Totum *V. G.* Homo non conſtituitur per ſolam formam; ſeu forma non eſt tota quidditas Compoſiti, ſed involuit etiam materiam, non ſine exercitio formali, quò invicem nectuntur, ſive uniuntur.

V. Totum præter partes unitas non dicit entitatem diſtinctam, quæ vocatur forma Totalitatis.

VI. Poteſt dari divinitus, non tamen naturaliter Corporum penetratio, eorumque replicatio definitiva.

VI Poteſt dari Divinitus etiam Corporum replicatio circumſcriptiva.

VII. Vacuum repugnat naturaliter, non ſupernaturaliter.

VII. Cauſa impeditiva vacui non eſt qualitas occulta, quæ dicitur fuga, & horror vacui.

VIII. In hypotheſi quod continuum permanens conſtaret partibus reipsâ ſemper diviſibilibus, (præſcindimus hic ab entitatulis modalibus) in partes proportionales minores, & minores ſalvantur quæ ſalvari debent.

VIII. In hypotheſi quod continuum permanens conſtaret partibus finitis realiter indiviſibilibus, ſalvantur omnia naturæ phænomena, & mentis humanæ abſtractiones ſeu diſtinctiones. Conditionalis quæ nihil ponit in eſſe ſalvat utramque hypotheſim.

IX. Non datur de facto Infinitum categorematicum ſive in multitudine, ſive in magnitudine, ſive in intenſione.

IX. Poteſt dari per divinam Omnipotentiam Infinitum categorematicum tum in multitudine, tum in magnitudine, tum in duratione, adeoque Mundus potuit exiſtere ab æterno.

X. Nullum Corpus eſt ſibi perfecta ſufficientia movendi, adeoque omne Corpus quod movetur, ab alio movetur: imò omne quod mutatur in aliquo

X. Hoc eſt quod dicunt Recentiores, Corpus in ſtatu quietis poſitum non moveri, niſi aliunde incitetur ad motum: quod ſi extendatur hoc proloquium ad omnem

vero

Digitized by Google

vero ſenſu ab alio mutatur.

mutationem etiam ſubſtantiæ incorporeæ, motus ſeu mutatio debet congruere cuique Moventi, & Mobili, aut certè neutri repugnare.

§. III.

THESES CONCORDES
PHYSICÆ PARTICULARIS
VETERIS AC NOVÆ

I. IN phraſi ſacrarum Literarum triplex eſt Cœlum, Aëreum, Firmamentum in quo ſunt Planetæ, ac Stellæ fixæ, & Cœlum Cœli, ſive Empyreum.

II. Cum attento ſenſuum teſtimonio Sol quotidiè aſcendat ſupra noſtrum Horizontem infraque illud deſcendat, ac toto anno per Eclypticam feratur, æqui Judicis eſt nolle illos in hac re tamquam falſos nuncios damnare, & pacificos jamdiù poſſeſſores a ſuâ dominatione deturbare, niſi obiectam falſitatem accuſatores demonſtrēt. Idemque confirmant clariſſima Sacrarum Literarum loca, à quorum ſenſu plano, & obvio (accedente præſertim unanimi Patrum, & Romanæ Eccleſiæ

I. Quod Cœlum dicatur Firmamentum non obſtat quo minus omne expanſum in quò ſunt Planetæ, ac Fixæ ſit fluidum, ut ex pluribus obſervationibus oſtendit Galilæus.

II. Mercurii, & Veneris phaſes, aliaque plura phænomena Cœleſtia oſtendunt falſitatem ſyſtematis Ptolemaici, quoad loca duobus illis planetis aſſignata. Dicimus præterea cum eodem Galilæo Stellas fixas lucere luce propriâ: nebuloſas, ut & viam Lacteam eſſe congeriem minutiorum Stellarum: Planetas omnes excepto Sole eſſe opacos, ab eoque lumen primarium mutuari: Solis maculas non eſſe Stellas ab illo diſtantes, ſed Corpora evaneſcentia ab ejus ſuperficie non remota: Lunam multiplici titulo

Digitized by Google

interpretatione) non eſt recedendum, niſi aut clarior revelatio, aut ratio efficax niti in contrarium cogat. Quare Tellus ſtare dicenda eſt, ac Sol moveri tum motu diurno, tum annuo.

eſſe Terram æthercam, & a Tellure ſecundarium lumen mutuari.

III. Cum Ignis inter Elementa computetur, aliquis locus ei debet aſſignari, ubi ingens ejus copia reperiatur.

III. In primis veteres ſenſibilem Ignis copiam videbant in Stellis fixis; Vos æterni Ignes &c. *deinde Ariſtoteles ipſe non admittit Sphæram Ignis ſub concavo Cœli Lunaris, ſed ait, quod propter conſuetudinem vocatur Ignis eſſe tantùm ætherem.*

IV. Aërem gravitare notavit Ariſtoteles; & habere vim elaſticam non fuit ignotum Heroni.

IV. Tam gravitas, quam elaterium aëris nunc exploratiùs innoteſcunt quàm olim, inventis jam Barometris, aliiſque inſtrumentis ad metiendas affectiones aëris.

V. Ad explicandum maris æſtum, ut & motum perrennem aquarum non eſt recurrendum ad Telluris motum diurnum.

V. Ut ſalvetur origo Fontium ex Mari non eſt recurrendum ad perpetuum miraculum.

VI. Tellus eſt Sphærica non Mathematicè, ſed Phyſicè.

VI. Ex nullo capite infertur Tellurem eſſe figuræ ovatæ ad polos depreſſæ.

VII. Inter ea quæ de novo exiſtunt præcipuum habent locum Animalia.

VII. Non tamen Bruta animantia naſcuntur ex putri, ſed ex proprio ſemine, vel Ovo &c.

VIII. Animæ Brutorum neque ſunt rationales, neque ſpirituales, neque inextenſæ.

VIII. Animæ Brutorum Animantium ſunt diviſibiles. Volenti explicabitur quomodo fiat nutritio, augmentatio, & ſenſationes.

IX. Animam rationalem eſſe Immortalem docent clariſſimi

IX. Recentiores non ſolum ſolvunt argumenta contraria ve-

vete-

veterum cum Platone, Ariſtotele &c.

terum Epicureorum; ſed etiam animorum noſtrorum Immortalitatem multipliciùs demonſtrant.

X. Anima Rationalis dum intelligit acquirit aliquam ſcientiam de novo, quæ non eſt pura reminiſcentia: dum eligit quod vult, habet libertatem Indifferentiæ quæ a Divinâ ſcientiâ non læditur.

X. Memoria, Intellectus, & Voluntas, non diſtinguuntur ab Animâ.

§. IV.

THESES CONCORDES
METAPHYSICÆ
VETERIS AC NOVÆ

I. ENs in aliquo vero ſenſu dici poteſt Analogum: ut Deo ſoli conveniat dicere, *Ego ſum qui ſum*: non eſſet autem Deo nomen proprium ipſum Eſſe, aut Ens, niſi quidquid aliud eſt ei comparatum inveniretur non eſſe, & non ens.

I. ENs ſi ſumatur pro eo quod eſt potens exiſtere, ſive non involuens contradictionem in ſuis prædicatis univocum dici poteſt tam reſpectu Dei, & naturæ creatæ, quam reſpectu Subſtantiæ, & Accidentis.

II. Differentiæ entis in aliquo vero ſenſu non præſcindunt ab ente, quamvis contrarium etiam aliquibus Philoſophiæ veteris ſectatoribus arriſerit.

II. Differentiæ Entis in aliquo vero ſenſu præſcindunt ab ente; quamvis contrarium aliquibus novæ Philoſophiæ ſectatoribus placuerit.

III. Hæc propoſitio = Alter Mundus eſt poſſibilis = ſumpta in ſenſu Phyſico, & in vi verbi

III. Hæc propoſitio = alter Mundus eſt poſſibilis = ſumpta in ſenſu Metaphyſico, & in vi copu-

æqui-

æquivalet huic = datur nunc actù Potentia potens producere alterum Mundum = adeoque verificatur per aliquid Divinum, ſive per poſſibilitatem extrinſecam.

læ æquivalet huic = ſi alter Mundus exiſteret nullam involueret repugnantiam in ſuis prædicatis = adeoque non verificatur per aliquid divinum, ſed per habitudinem Terminorum, ſive per poſſibilitatem intrinſecam.

IV. Exiſtentia, & exiſtere accidit Eſſentiæ creatæ; hæc enim exiſtit contingenter.

IV. Exiſtentia ita accidit Eſſentiæ creatæ, ut rationale animali, adeoque non diſtinguitur ab illâ realiter.

V. Impoſſibilia, & carentiæ cognoſcuntur definiuntur dividuntur, aliquando etiam fit hypotheſis chimærica, ex quâ aliqua deduci poſſunt.

V. Loquendo in rigore cognitio eſſentialiter falſa attingit ſola poſſibilia, quæ vel male dividit, vel male componit. Carentiæ autem ſunt vocabula non habendi, ſive negationes formales rerum contingenter non exiſtentium nihil ſunt. Proinde nulla neceſſitas Mundi fictitii, abuſivi diminuti.

VI. Datur relatio extra mentem, quæ non completur per cognitionem.

VI. Ad ſalvandam relationem non eſt opus ſuperaddere fundamento, termino, & adequatæ rationi fundandi novam entitatem.

VII. Dei Exiſtentia multipliciter demonſtratur, præſertim ex Mundi harmoniâ.

VII. Dei Exiſtentiam non negarunt Epicurei, ut aliqui falsò opinantur: nunc autem antiquis demonſtrationibus alias ſuperaddemus.

VIII. Deus concurrit immediatè ad omnes, & ſingulos effectus creatos adeoque etiam ad bonum uſum libertatis & ad actus malos: in actionibus autem malis peccat Creatura, non peccat Deus, neque eſt auctor peccati.

VIII. P. Suarez teſtatur contrariam ſententiam quæ negat concurſum immediatum rejici ab omnibus probatis Theologis, tamquam errorem in fide. Imo ex noſtro ſyſtemate manifeſtiùs, quàm ex quovis alio nunc recepto, ſe-

IX. *Deus*

quitur Deum eſſe auctorē actionis bonæ & non eſſe auctorem peccati.

IX. *Deus contra ſolitum Naturæ curſum* [aliquando] *facit; ſed contra ſummam legem nullo modo facit, quia contra ſe ipſum non facit*. Ita D. Thomas pr. parte quæſt. 105. art. 6. ex Auguſtino l. 26. contra Fauſtum.

IX. Deus poteſt negare terminum connexionis phyſicæ etiam exiſtente fundamento; & viceverſa exiſtente fundamento phyſicæ oppoſitionis poteſt ponere terminum: quod aliis verbis inſinuavit D. Bonaventura in 2. *diſt.* 25. Deus non infert violentiam naturæ quantum ad potentiam Obedientiæ, infert tamen quantum ad inclinationem ſpecialis naturæ.

X. Deus eſt Cauſa Prima cui cæteræ ſubordinantur: eſt Primus Motor, a quo omnia moventur: eſt Primum Liberum, ſine quo non eſt bonus uſus libertatis, ut eruitur ex Conciliis, & Patribus. Salvanda ſunt etiã veterum proloquia, quale eſt illud: ab indifferenti ut indifferenti non poteſt oriri determinatio; aliaque his affinia.

X. Concedimus Deũ eſſe primã Cauſam, primum Motorem, primum Liberum &c; ſed tamen negamus phyſicam Præmotionem; prout hæc ab ejus auctoribus explicatur. Imò quicumque negant in hoc ſenſu præmotionem phyſicam (qui non ſunt Pauci Recentiores, ſed longe plures Seniores extra noſtram ſcholam) concedunt divinas motiones, præmotiones applicationes, prædefinitiones &c. aptas, & congruentes cuique mobili; ſed negant talem ſpeciem motionis controverſæ, quæ unicè erat probanda, omiſſis iis quæ omnes concedimus.

Diſpu-

Diſputabuntur publicè Florentiæ in Templo S. JOANNIS EVANGELISTÆ Patrum SOCIETATIS JESU ab eodem qui ſupra. Anno 1725. Menſe Auguſto Die   Horâ

Datâ omnibus arguendi facultate.

49 433728

Digitized by Google